



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij  
Francisci Lamberti Auenionensis**

**Lambert, François**

**Argentorati, 1525**

**VD16 B 3868**

Pars Qvarta. Quarto, de forte mißa, & Ionæ per eam deprehensione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35983**

COMMENTAR. CAPVT I.

111

**N**ath. 24. & Marc. 13. de his nonnulla scripsimus, libro  
de causis excæcationis, tractatu.s. cap. 12.

Videntes postmodum, quām nihil proficeret eis suorū  
idolorum inuocatio, nauem adleuauerunt multis: **I**onam  
quoque dormientem excitarunt, præcipientes, ut Deum  
suum precaretur, ne disperirent. **Q**uid cause fuit ionae,  
ut descendet in navis interiora, ad dormiendum? **N**esci-  
uit, quod curta foret eius dormitio. **N**ouit Deus excitare  
sopore depresso. Putabat forsan, se sic euasurum, quod  
Deus ab eo fieri prædefinierat. Sed non est sapientia, non  
est cogitatio, non est consilium aduersus Dominum. **E**xci-  
tatur ergo, indubie territus cum alijs. **C**ognovit Dei ma-  
num, quem precabatur, ut cessaret ab eis mare, & nō ex-  
audiebatur, quod non ex fide, & peccator erat. **S**cimus  
autem, quia Deus peccatores, incredulos scilicet, & uer-  
bo suo contradicentes non exaudit. **I**oan. 1. **I**nterea sem-  
per inflabatur & ibat mare, & navis in horas & momē-  
ta magis periclitabatur, nec cessauit, donec is propter quē  
orta fuit ipsa tempestas, & deprehensus, & in mare pro-  
iectus fuit.

P A R S Q V A R T A.

**E**t dixit uir ad collegam suum: **M**ittamus  
sortes, & sciamus, quare hoc malū sit nobis.  
**E**t miserunt sortes, & cecidit fors super **I**onā.  
**N**on

FRANC. LAMB. IN IONAM.

**N**ON putemus id factum aliqui, quam Dei consilio, ut sortes mitterentur, & per eas Ionas deprehenderetur. Dilexit eum Dominus, & noluit male perire, ideo haec omnia fieri uoluit. Nam nobis permettere, quæ perperam concupiscimus, maximum æternæ reprobationis indicium est. Sic consuevit Deus, prepedire electos suos, ne proprias cogitationes adimpleant. Non puto illos, iuste usos sorte, immo neque usi sunt aliqui, quam superstitione uana, ut gentiles & increduli. Verum is qui sortium temperator est, ex eis indicauit rei quam petebat ueritatem, non ut illorum faueret superstitioni, sed ut impleretur, quod de Iona fieri uolebat. Sic et Nabuchodonosor sortes temperauit in gloriam suam. Eze. 21. Proinde habetur Prover. 15. Sortes mittuntur in sinum & à Domino temperantur. Et cap. 18. Contradiciones dirimuntur, & potentes quoque dijudicant. De sortibus licitis atque illicitis, & qua ratione, & quando sit illis utendum, ac de uocatione Matthei per sortem, plene egimus, libello, de uocatione fidelium cap. 19. 20. 21. 22. & 23. Idcirco de illis nunc minime scripsimus.

P A R S . Q V I N T A .

Et dixerunt ad eum. Indica nobis, cuius causa istud malum sit nobis. Quod est opus tuum, quæ terra tua, et quo uadis, uel ex quo populo es tu? Et dixit ad eos. Nebreus ego sum, & domi-